Memor esto itaque quod dicitur. Ve vobis scribe et pharisei ypocrite qui similes estis sepulchris dealbatis que foris apparent hominibus speciosa intus vero plena sunt ossibus mortuorum et omni spurcicia. nō
Sic et vos foris quidem apparetis hominibus iusti. intus autem pleni estis ypocrisi et iniquitate. Nec non et illud quod et alibi scriptum legitur. Veniunt ad vos in vestimentis ovium intrinsecus autem sunt lupi rapaces. nō

Quis tu peioribus obtemperes. INOBEDIENCIA DICIT: deterioribus famulatum exibeas? Te magis quam illos decuerat imperare. qui tibi non possunt ingenio vel industria coequari. Obtempera igitur magis domini imperio et non sit tibi cura de aliquo. SED BEATA SUBIECTIO

nō Si domini obtemperandum est imperio. RESPONDET: humano subdi necesse est magisterio. Ipse enim dicit. Qui vos audit me audit. Et qui vos spernit me spernit. Ita inquis oportet. sed si talis qui imperat esset. Non est talis per quem deus imperet. Sed apostolus contra. Non est potestas nisi a domino. Que autem sunt a deo ordinata sunt. Itaque qui resistit potestati dei ordinationi resistit. Quales enim debeant esse hii qui imperant. non est a subditis discuciendum. Et quidem primis ecclesie pastoribus dominus dicit. Scitis quod reges gentium dominantur eorum et qui potestatem super eos habent benefici vocantur. Vos autem non sic. Sed qui vult in vobis esse maior erit omnium servus. Sicut filius hominis non venit ministrari sed ministrare. Sed tunc quod non omnes tales futuros previdit subiectorum omnium personas in discipulis assumens premonuit dicens.

License: cc-by-nc – Bern, Burgerbibliothek, Cod. A 94.8, 3r – Ambrosius Autpertus: De conflictu vitiorum et virtutum (https://fragmentarium.ms/view/page/F-knks/5137/49129)